

9.
9

Ill:^{mi} & Rx^{mi} Dñi
GERMANICI MARCHIONIS
MALASPINÆ, EPI: S. SEVERI,
Nuncij ad Regem Regnumq; Poloniæ
Apostolici

ORATIO,

De fœdere cum Christianis Principibus
contra Turcam feriendo in Comitiis
Varsauieñ.



CRACOVIAE,
In Officina Lazari. Anno Domini,
M. D. X C VI.

**ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO, D. PETRO ALDOBRANDINO,
S. R. E. Cardinali, S. D. N. Clementis viij Nepoti, &c. &c.
Domino Patrono colendissimo.**

Quartus iam expletur ferè annus, Cardinalis Ampliss; cùm Illustriss.
D. Germanicus Marchio Malaspina, S. Seueri Episcopus, postquam
legationes multas præclarè pro sede Apostolica obiit, in has demum
Septentrionales plagas à S. D. N. Clemente VIII. ad Poloniae Sueciæq; Re-
gem missus, operam diligentem ac fidelem Christianæ Reipub. Poloniæq; nauat.
Cùm uero temporis conditio postulare uideretur, ut tam Sereniss. hic Rex, quam
inlyti Regni huius Ordines ad iungendas vires, & arma cum ceteris Christia-
nis principib. contra communem perpetuumq; Christiani nominis hostem inflam-
marentur: quāuis Reuerendiſſ. D. Episcopus Casertanus, uir pietate, prudētia, ac
eruditione insignis, luceulentam orationem de hac re in Senatu magna hic cum
laude habuerit: tamen, que ille quoque scripserit, non putau committendum, ut
perirent, aut, si quid utilitatis, hoc præsertim tempore, posset inde percipi (uti
perceptum iri facile credo) prætermitterentur. Quoniam autem, que aūficiis
geruntur Clementis Pontificis Maximi, D. V. Illustriss: patrui (cuius actio-
nes, zelumq; in hortando, iuuandoq; Christianos principes ad sacrum bel-
lum, tum præsens etas celebrat, tum posteriora secula mirum in modum
sunt celebratura) ad D. V. Illustriss: magna ex parte merito pertinere
uidentur: eiusdem quoque nomine prodire debent insignita: ut quemadmo-
dum sic decorata, legentibus, spero, futura sunt iucundiora, utinam ad persuas-
endum etiam uehementiora: ita perpetua obseruantia mee uelim extent ar-
gumentum erga amplitudinem, præstantiamq; D. V. Illustrissimæ. cui cale-
atis gratiæ accessionem, summamq; felicitatem ex animo precor. Dat. Var-
sania, XX. die Aprilis, M. D. XCVI.

D. V. Illustriss. ac Reuerendiſſ.

humillimus ac deditiſſ. seruitor,

Hieronymus Barboninus, Illustriss.
Dom. Nuncij Apostolici generallis
caſarum Auditor.



228368 T

ORATIO.



TSI, SER^{me} REX, ORDINESQ; amplissimi, Pontifices, communes videlicet Patres, communis vniuersos pietate complecti debeant, ac soleant; tamen, ut medici in totius corporis cura, non toti corpori, sed parti semper afflictæ medicinas adhibent; sic hi, non sine cælesti mentis instinctu, singuli singulas sibi prouincias officio, studioq; omni tuendas maximè, semper sunt arbitrati. Vnde est, vt, quemadmodum Italia Leonem Magnum, Leonem Tertium Gallia, Britannia Gregorium Primum, ac nostra memoria Gregorium Decimum tertium Germania, tanquam tutelares Diuos collunt, quod eorum hi Resp.^{cas} vel salutaribus institutis vinixerunt, vel beneficiis præter cæteros maximè cumulârunt: sic Polonia Clementem Octauum, tanquā Reip, suæ custodem ac præ-



sidem , summo semper loco habere debeat .
Nam Pontificis pij charitas , sanctæque cogita-
tiones , etsi obeuntis orientisque solis finibus
vix coërceatur ; tamen , cùm Polonia tam pro-
pè iam vrgeatur , vt non coniuges tantum , libe-
ri , libertas , sed maiorum etiam vestrorum se-
pulchra , Diuorum cineres , atq; adeò religio ipsa
ab extremo periculo proximè absint ; in hanc
orbis partem , tanquam morbo maximè tenta-
tam , statuit ille sibi omni studio incumbendū .
Quid verò is consilij ad Reipu. vestræ nutantes
iam , inclinantesq; rationes adferat , necessitas
rei facit ; vt hodie apud vos paullò vberius dicā .
Ac , ne cogitatio vestra , fusum illud , sparsumq;
dicendi filum , sparsa ipsa , & dissipata sequatur ;
orationem iis circumscribam cancellis , vt pro-
bem : primò , fœdus cum Turcis fraudis plenū
esse ac periculi : deinde , belli contra tyrannum
capiendi necessitatem esse summam : tandem ,
hostis frangendi , debellandiisque rationes , si in
belli cum aliis societate ascisci velitis , faciles il-
las & expeditas esse . Ego verò , ex fide erga rem-
publicam

publicam vestram mea , cum tantum fructum
cupio metere; ut me, Pontificis hodie sensa, no-
tionesque, si non ea verbi venustate, quam res
requirit ; paullò tamen liberiùs, pro meo mo-
re, explicantem, patienter attentèque audiatis.
Tritum illud est , atque certè quām tritum ,
tām verum: Qui armis gloriam comparare stu-
duerunt, instructos eos semper, paratosque ab
astu, aut manu, in campū descendisse. Vnde
illud illius exiit : Vbi leonina pelle nullus pro-
ficiis, vulpinam esse assuendam ; quasi hoc esset
necessariò tenendum ei, qui armis vult sibi mu-
nire viam ad gloriā summam , vt vincat, si non
viribus, vt leo, certè astu, vt vulpes. Etsi ratio
suadeat, vt malim Imperatorem vtrinque para-
tum, hinc ab arte, inde à vi ; tamen, si alterutru
debeam præferre, laudem ego magis , qui vt
vulpes, quām qui vincit vt leo. Sed, ne quis a-
liorsum accipiat, atque ego dixi, malum à me
dolum probari, atq; huic sacro Confessui, tan-
quam hominis proprium venditari ; is statuat,
à me laudari non dolum, sua ipsum natura ma-

lum; sed artem illam declinandi hostem, si feriat; terrendi ne feriat: & laudari hactenus, ut intelligatis, Imperatores illos, qui arte & vi sunt muniti, vel lapsos e caelo ad seruandum, vel e medio orco excitatos ad genus humanum multandum, iustisque poenis vindicandum. Cuius rei nullum exemplum in historiis si extaret (ut extant sanè plurima) tamen orationi meæ tam certam fidem facit Turca; ut, aliunde quærere, quod est ante pedes positum, infiniti certè sit stuporis. Nam Turcam esse magnum hominum venatorem (ut florem hunc verbi ex sacris literis libem) inde apparet: &, quod enses eius perpetuo nostro sanguine fluant: &, quod artem, nunc hunc, nunc illum, pacis reti, etiam prouidentem, & præuidentem capiendi, quasi venator faciat. Quemadmodum enim venator, feram oculo designatam ad prædam, non priùs excit latibulo, stataque sede, quam commodum sit suis rationibus, eam capi; sic Turca in iis, quos spe totos deuorauit, illaqueandis capiendisque, suam non tam vim exerit, quam

quàm artem exerçet. Vnum illi rete, Sereniss: Rex, capiendis omnibus, Fœdus, & pax. Hoc postquàm explicauit prætenditque, ne possint hostes effugere; tentat subdolè, quasunt vi, qua virtute, quo genio, quo ingenio; vt, quo armorum genere cum quib. debeat dimicare, multò antea prospiciat animo, ac prouideat. Tremunt hostes? lepores nouit, & terret. terrent? leones vidit, & cedit. ambigui vitant? vulpes aduertit, & cauet. auarè inhiant? lupos inteligit, & spe prædæ illicit. Denique, sæpto vniuersos tam cautè tenet; vt singulos, cum vſus sit, facile queat capere. Quare summus Pontifex, cùm probè nôrit, Poloniā esse brachium, quo tyrannus à Christianorum, quà illi cumque pateant, ceruicibus depellatur, ac huic brachio præuideat (qua est mentis perspicientia) securim à Turcæ non tam vi, quàm arte imminere; voluit hoc à tyranno prætentū rete, à me vobis hodie indicari tantū: vt habeat posteritas, in quo legat, ac intelligat, Pōtificis summam prouidentiam, quòd monuerit; & Polono-

Ionorum perinsegnem negligentiam , si non
cauerint. Cauere eius fraudem , qui non vitat
societatem , potest nemo ; nisi Polonia , mira-
culi specie,in medio reti tuta,informatam iam
de eius fraude omnium animis,ac anteceptam
opinionem fallat. Nam vsus hactenus confir-
mauit, eum solùm ab huius securi esse securū,
qui pacis reti euolutus , spontè ceruices non
subiecerit. Replica,quisquis aues exquisitè rem
nosse, replica annales maiorum tuorum ; quà-
cunque inspicis, quàcunque insistis, in perfidia
Turcica vestigium mox ponas. Mahumetes
primus Mysix regnum subdidit sibi ; si , vt le-
o, armis , certè contra iusurandum vt vulpes.
Huius filius Baiazetes, Methonem, Coronam,
alia Venetæ potentiae , vna perfidiæ falce præ-
cidit,ac amputauit. Cyprus,deliciæ orbis, fu-
issent sanè deliciæ , nobis ad gloriam Christi,
non Turcis ad sensuum titillationem; nisi Soly-
mo,summam fraudem iuramenti religione te-
genti,Veneti male creduli nimium tribuissent.
Amurathes Hungariam qua vi vicit ? nulla. po-
tiùs

tiū pacem prætexuit, vt bellum sereret; & bellum, quo, regia domo penitus extincta, facta est Hungaria, ex numerosissima, rara; ex nobilissima, plebeia; ex liberrima, serua; tandem, ex Christiana, Turcica. Macedoniam denique, Mysiam, Bulgariam, Græciam, Turcico imperio fraus, pacis nomine velata, adnexuit; non vis, & manus subiecit. Quas duas res historia hactenus locuta est, tanquam miras, quod semper & expetebantur, quia pulchræ; & perdebant, si possessæ, equum Seianum scilicet, & aurum Tholosanum: illis iam pacem Turcicam posteritas, si quid puri oculi, cerebrique habeat, adnectet certè tertiam, vt specie pulchriorē, sic possessu peiorem: nam perdebant, equus sessorem, aurum possessorem. At pax Turcica, et si expeti fortè possit, quia pax; auersanda penitus tamen videtur mihi, quia Turcica; quæ profitetur, non tam corpora seruituti, quam superstitioni animas addicere: id est, ipsas Christi, ac pietatis fibras penitus incidere.

Non erit, qui putet, Turcam nolle, in nulla iu-

Ita causa, pacem cum Polonis sacramento sanctam violare, nisi Turcam ille non bene nōrit, aut nos haētenus non bene audiuerit. Nam, quō solemniori formula pacem sancit; eō testiūs in caput eius, cū quosancit, ceruicesque, more institutoque Mahumetano, molitur. Id quod Sinan Bassa (barbarum, barbaro nomine libenter ego noto) humani ille, diuinique iuris publicus prædo, disertè Oratori Cæsarīs, & in os professus est. qui monitus, tyrannum, nouis ciendis motibus, & intercipiendis in Hungaria arcibus, contra fidem facere, liberè pronunciauit; nullis se legibus, ad fidem infidelij seruandā teneri, aut adigi. quasi sectæ Mahumetanæ mysterium esset, Turcam posse fidem, & Christiano tanquam fatuo dare, & infideli, tanquam sagacem, fallere. Quid tandem nullam iustam causam fingitis? nulla causa, erit iusta tyranno causa: & tam promptum erit, dicere Polono, Da mihi Moldauiam, nisi nolis pacem; quam erat paratum, minari Veneto, Da mihi Cyprū, nisi velis bellum. Ineptè peto externa exempla. In

pla. In nulla causa, quid velit tyranus, Podolia
testis est locupletissima. Quid Podolia? Polo-
nia potius. Cum enim Regis vestri viridior an-
te octo annos ætas fraudi videretur, & insidiis
patere, tributum tyranus imperat. Etsi Regis
magnanimitas, & prudentia, fortitudoque, e-
quites, vestra, huic tyranni postulato ita iuerit
obuiam, ut is satis intellexerit, rem ferro cer-
nendam; hinc tamen videtis clarè, eum venari
occasions, & qui in Rege iuuene, multoque
domi turbatore, commodam, ut suspicabatur,
Poloniæ premendæ opportunitatem non pa-
sus est effluere, facile violaturum fidem, si fidei
forte violatio aliquid illi maioris aut rei, aut
spei apportauerit. Subiicitur forte mihi La-
dislaus, quasi occubuerit, quod pugnârit teme-
rè, & foedus cum hoste pactum impiè violârit.
Qui sic obijcit, dupliciter ille peccat; & quod
non satis aduertit, se verbi sui vim minuere, dū
dicit, Regem temerè pugnâsse; & quod vide-
tur mihi nimis delicate Theologus, qui, quam
dedit Turcæ fidem, eam vult arctè seruari; fi-

dem autē, quam debet proximo, naturæ, Christo, eam appellat quidem fidem, sed contemnit ut leuiculā. Sed quis tamen es tu, qui Ladislai Diæ memoriae hanc iniuriam facis, vt eum dicas impiè violâsse? Non satis certè mihi videbis intelligere, quid fœdus sit; aut certè, si intelligis, non illud ad veram sensus, rationis, theologiae regulam exigis. Cùm enim tam liqueat, quām solem lucere meridie, Turcam fœdus, tanquam rete Christianis capiendis tendere; stulti sunt hi, si se spontè in hoc rete induant: aut potius impij, qui, specie seruandæ fidei, se suis, suis Christo, atque adeò Christum (quantum in illis est) Ecclesiæ intercipi sinant. Fides quidem seruanda est hosti; sed fides sincerè vtrinque data, vtrinque accepta. Quòd si quis promittat, vt te occupet incautum, hæcq; eius mens ex multis clariùs factis eluceat, quām vallis possit verbis expromi; si monitus non caueas, simplex: si artem non anteuerertas, arte stultus atque adeò stupidus: si verbo potius credas quām facto, hostis. At cuius hostis? qui,
quoties

quoties promisit, toties refellit. At cuius hostis? qui profitetur, instituto Mahumetano, fallere. Deinde, mallem ego certè mortem Ladislai, quam vitam cuiuscunque, sanguine tantum, & carne terminatam. Nam Ladislaus in medios martyrum cuneos penetrâsse videtur, quod caput suum pignori pro patria dederit, ac fidei confessionem sanguine suo purpurârit, gloriosèque consignârit. Neque ego ea sum peruersitate opinionis, qua tu, quasi occubuerit propter fidem non seruatam Turcæ: nam duas prius gloriosas victorias ab hoste retulit, indices diuinæ erga eum benignitatis; & quæ Turca dedit Polonis verba, non fides erat, sed insignis fraudis ac perfidiæ tegumentum. Quæ ergo causa mortis? Christianorum fortè, Christianorum peccatum. Non merebantur ignati tam fortem, tepidi tam ardentem, murmuratores tam gloriosum, impij tam bonum rei Christianæ vindicem. Neque profectò signo est, peccare illos, qui pugnant, quod pugna, eos medios interceptit. Totus populus Israëlis nō

temerē, sed Deo consulto, & consultore, contra tribum Beniamin (quæ vrbem Habna obsidione iniqua arctè, contentèque pressit) arma sumpsit. quo euentu? Israëlitarum primò bis mille suprà viginti, postea octodecies mille strati, ac ad internacionem vsq; deleti erant. Quid hoc est, Deus? mones vt pugnēt, & perdis fortè quòd pugnant. Hæc videtur mens penè, & oratio eorum, qui Ladislaum subijciunt; non satis certè illa æqua, si Israëlitarū factum æqua rationis lance pendamus: hi enim, lachrymis propter peccatum suum manantes, ac verbo Dei nixi, fortes alacresque exierunt in tertia castra, ac, ciuitate tandem sancta in libertatem asserta, id quidquid erat perfidi nominis, penitus deleuerunt; Poloni, vt hi, suis lachrymis potius, quàm viribus freti, quia iterum non existis in campum, iterum ac tertium, orbis penè totus Poloniam iam vestram putat proximam si non cineri, certè flammæ. Atque cùm virtutem, magnanimitatemque Polonorum germanam penè, & (sic libet loqui) vernaculam, mente com-

te complector; me, penè est ut pugeat, pudeatq;
Ladislai toties usurpati. Timidi profectò est,
& minuti animi, quòd semel sis vicitus, horrere
semper tubam, sclopum, ensem: fortis potius,
tanquam palma, quòd vehementius premitur,
eò valentius cōtra robur niti debet, ac insitam
vim contra vim externam vehementius exe-
rere. Romana respub. tantam, & tam altam
plagam in Cannensi pugna accepit, vt nunquā
illi videretur posse medicina fieri; virtus ta-
men eorum tam viuida erat, vt hoc vulnere vi-
reret, non flacceret. Magnanima enim gens,
iniuriæ vindicandæ studio elata, non priùs in-
terquieuit, quām Carthaginem exciderit, effe-
ceritque, vt ille meritò scribat, nihil aut Cartha-
ginensibus accidisse infelicius, felicitate hac vi-
ctoriæ, aut Romanis hac cladis infelicitate fe-
licius. Ludouicus, qui huius nominis undeci-
mus Gallos tenuit imperio, rebus regni conci-
fis ab Anglo, & Burgundiæ Carolo redactus e-
rat eò, vt incastris hostium audiret tantum, Bi-
turgum Rex; verūm contrà eundo fecit, vt,
hostibus

hostibus mox in angulos compulsis , virtutem
eius laudarent omnes, dignam immortalitate.
Virtus, Sereniss: Rex, vera illa, & numero omni
expleta, nec florenti re tumet, nec prostrata ti-
met; quin se semper excitat, ostenditque, sy-
dus, fatum, fortunam, esse nomina tantum, &
vanæ gentilitatis idola. Macte ergo Poloni vir-
tute, macte : vimq; illam, quam natura parens,
aut potius magnus ille ñaturæ sator & altor, in
pectoribus vestris videtur impressisse, excitate.
O fortia pectora, quām diu languebitis? O ro-
bora hominum, quām diu iacebitis? Turpius
illud, quòd iacetis nullo prostrante. At Ladisla-
us. quid hæres? profer quod debes, profer La-
dislaum, cæli gemmam, gloriam Poloniæ. V-
surpa Ladislaum: nomēn illud honoris vsur-
pa, ad spem tuam erigendam, non ad ignauiam
tuis injiciendam. Ladislaus te erigat, quòd bis
vicit; non te frangat, quòd semel amisit. quan-
quam, quid amisit? pro portiuncula hac terre,
portio illi, & sedes altā, in illa cælitum regione;
vnde vestram iam stultitiam irridet, quòd Tur-
cicam

cicam & timetis perfidiā , & sequimini fidem.
In pacis Turcicæ , Sereniss: Rex , fraude expli-
canda , cò breuior sum , quò illa est perspecta
vobis magis , & quò oratio mea festinat con-
tentius , ad belli cum Turca necessitatem , in
vestris non tantum auribus , sed oculis defigen-
dam . Quam,inquis,necessitatem ? ex pericu-
lo quod imminet summum , ex periculo quod
imminet proximum . Summum non esse , ne-
mo vestrum neget ; interitum scilicet , aut ser-
uitutem . At interitum quem ? Corpora ve-
stra in cinerem , ex quo apta sunt , redigi , quia
naturæ est , non graue est : ceruices amputari ,
quia commune est , non magnum est : cruci af-
figi , quia legis est , non immanc est : aliis pœnis
affici , quia necessarium est , tantopere vitandū
non est . at sensus pœnis minisqué lentic affli-
gi , non tam vt compago , quam corporum na-
tura exquisitissimam fabricata est , soluatur ,
quàm vt animæ impia superstitione obligatae ,
ad inferos tandem amandentur , & periculo
tam graue est , & re tam magnum , & diritate

C

tam

tam immane, & omni ratione tantopere vi-
tandum, vt omnes corporum pœnæ, ne animæ
in hoc periculum veniant, probo Christianoq;
viro videantur subeundæ. Horreo totis artu-
bus, quoties cogito tyranni hinc minas, inde
delicias, artificiosè scitèque comparatas, ad
mentes Christianas Mahumetana labe infici-
endas; vt seruitus illa, quam experti dicunt du-
rissimam, liberasit mihi, atque adeò dulcis, præ
vt est periculum, quod animabus perdendis
capiendisque impius machinatur. Periculum
quām est sumnum, non æquè videtis proxi-
mum? Moldauia expetitur: Transiluania pe-
titur: Bohemia timet: trepidat Morauia: to-
ta vicinia corripitur flamma; medium Polo-
niam putatis tutam? Reuerendiss: Caserta-
nus, vir ita vndequaque summus, meritò vt du-
bitetur, in eius omni actione, magisne pietas e-
niteat, doctrina, an iudicium; de hac tota re
etsi ita dixerit, nihil vt possit clariùs aut præcla-
riùs; istud tamen non monere non possum,
tyrannum vos iam diu, tanquam viuari cón-
clusos,

clusos, pro re nata, deleturum, aut perpetua seruitute mulctaturum. Nouit, quæ consilia cōtra caput eius initis, quæ conuitia iacitis, quæ suffragia fertis : nouit detrectari foedus cum Christianis, non quòd non cupiatis, sed quòd non audeatis. hanc mentem, bonam illam, & è celo natam, putatis tamen impunè vobis ituram ? Occasionem profectò tyrannus vestri perdendi arripiet proximam. Ratiocinabitur enim sic : hanc vestram fortitudinem, ac formidabilem vim minuendam sibi esse, & frangendam, si bellum perseueret post vicinos concisos ; si pax futura, primo quoquo tempore, quasi qui vestras ab aliorum necessitatibus rationes segregāstis, æquè non debeat is angustiis vestris sperare ab aliis opem. Imò, vnde potestis sperare opem ? Ex Valachia ? auget tyranno imperium. Ex Transiluania ? periit : quia non adiutāstis. Ex Austria, & Bohemia ? pressæ, aut oppressæ sunt. Ex Silesia, & Morauia ? non possunt, si perierint ; aut, quia impeditis reipub. temporibus contempsistis, non volūt.

Ex Ragusæis? scilicet ex tributariis. Ex Roma,
aut Hispania fortè opem? at omnis via, vestra
culpa, illis ex Italia & Hispania ad vos interclu-
sa est. Vnde tandem opem? Ex septentrio-
nali plaga? Turcici tyranni mysterium exiit
iam in vulgus: quemadmodum arcem Algeire
erexit ad coercendam potentiam Asianam; sic
Vistula redacta in potestatem (huc enim ratio
& oratio tyranni spectat) Dantisci statuet arcē
contra vim septentrionalem. Nihil non est,
quod Angli per Poloniam tam liberè Constan-
tinopolim commeant, remeant: nihil nō est,
quod Dantiscum Constantinopoli laudarunt
hi, tam opportunum Septentrionis, quam Cō-
stantinopolim Orientis rebus constituendis.
Equus Troianus vestris, Poloni, mœnibus rece-
ptus est; & dubitatis adhuc persequendi Græ-
ci, an seruandi Troiani? Simulanda pax cum
Mahumetanis, an fœdus cum Christianis icien-
dum? Vicini vos vocant ad fœdus; non audi-
etis vocem terræ? Pontifex vos vocat ad fœ-
dus; non audietis vocem cæli? Christus ad
fœdus

fœdus vos vocat per Vicariū, Turca per Chau-
sium; quem tandem audietis? Seriò vos, e-
quites, Deus vocat, qui ad fœdus vocat, & per
Pontificem vocat. Duobus enim magnis ma-
lis, quibus hinc anima, inde in Ecclesia corpus
affligebatur, duo Deus magna adhibuit reme-
dia, illi Concilia, huic fœdera; vtraque semper,
si salutaria, à Pontificibus præscripta. De Con-
ciliis clarum est: de fœdere, si non æquè clarū;
tamen æquè certum: nam pericula, vt hanc,
aut illam orbis partem proximè vrgebant; sic
eis auertendis fœdus semper aliquod, tanquam
obicem, Pontifex opposuit. Templarios no-
lite cogitare, Rhodios, Melitenses, Theutoni-
cos, alios equites, qui certis legibus vincliti, &
quasi fœderati, operam, probâte Pontifice, su-
am, contra hostes Christi profitebantur, & vti-
liter diu nauabant. Veræ fœderum societates,
quot Pontificis autoritate initæ? Quàm fe-
lici tandem exitu conclusæ vniuersæ? Vrba-
nus Tertius in Concilio Claremontano, orati-
onis, zeli que vi effecit; vt Christiani Principes,

fœdere conglutinati, arma caperent contra Saracenos : Quis fructus fœderis ? Solimannus ad Niceam superatus : centies mille ad intercessionem cæsi : Ierusalem recepta : Bolonius, quod primus sanctæ vrbis moenia vestigiis suis signarit, Rex Hierosolymitanus renunciatus. Calistus Secundus in Concilio Laterano suasit, & persuasit Christianis principibus, manum auxiliarem Balduino Secundo Hierosolymoru regi, contra impressionem Saracenam ferrent. quo successu ? Regem Damascenum in fugam compulit, & Gallum, Minoris Asiae regem vicit, exercituque cæso, cepit. Honorius Tertius, prece, pecunia, authoritate, plurimos Christians in sacri belli communionem elicuit, &, Ioannis Columnæ Cardinalis auspiciis, rem Christianam ita amplificauit; vt omnis ætas sit prædicatura & zelum Honorij, qui sic suasit, & Columnæ nomen, qui causam Christi sic gessit; & principum pietatem, qui summæ authoritati sic paruerunt. Clementem Tertium, Gregorium Octauum, Ioannem Vigesimū secundum,

secundum , Nicolaum Quartum , Vrbanum
Quintū, alios sacri foederis contra hostes Chri-
sti feliciter authores, non persequor. Vnus Pi-
us Quintus, vna victoria post natos homines
maxima, posteritatem docuit, quanta felicitate
pugnant ii, qui zelo instincti, & summi Pontifi-
cis authoritatem sequuti , in castra contra pa-
ganum , & pro Christo magnanimi exeunt.
Clemens Octauus, eandem cæli viam insistens,
& precibus sacerdos , & autoritate pontifex,
& consilio prudentissimus contendit ; vt Pij
Quinti, non tam exemplum sequatur , quam
vincat felicitatem. Quidquid tandem rei erit,
ingentis sanè zeli est, conferre in hoc bellum ex
ærario, non restrictè, atque adeò ex sanguine
suo prodigè, qui Ioannem Franciscum Aldo-
brandinum, nepotem suum, cui & pectus sapi-
entiæ, & manus plena virtutis, non dubitauit
omni discrimini pro Clristo exponere. Innuit
quidē Christus, vt priusquam aggrederis ad bel-
lum, prius putas sumptuum rationes; ad ratio-
nis tamen veram normam. Nulla nobis nor-
ma rectior

ma rectior esse potest, quām quæ ab illo præstis-
tuitur, cuius Deus in Ecclesia potestatem, ver-
bo; & in hoc genere autoritatem, miraculo
sæpè sanciuit. Hanc bellicæ rationis putandæ
subducendæque normam ne nouam fortè pu-
tes; necheri illa, nec cum Christo nata est: nā
populus, reges, iudices, qui Mosaicalege astricti
erant, non priùs vñquam manum admouerūt
ad arma, quām ex prophetis, & sacerdotibus,
quæ esset mens Dei de bello, certum, explora-
tumque habuerunt. qui, authoritati obsecuti,
arma sumperunt, victoria; qui, cerebro priua-
to nixi, detrectarunt, strage, alióue infelici exitu
bellum semper terminarunt. Nemo mihi hīc
dicat, Pontificem facile in societatem belli, &
fœderis venire, ipsum scilicet remotum à peri-
culo, & Polonorum aliorumque procellas, si
quæ futuræ, è portu tutò dispicientem. Polo-
nis hanc orationem miror posse excidere, vel
piis, contra pontificem istum, quo nullus vñ-
quam Polonorum gloriæ, reiisque fauentior e-
rat; vel prudentibus, in re, quæ nihil omnino

habet

hiabet fundamenti. nam Pontificis functio ,
veraq; imperij ratio, cùm non Romanæ vrbis,
aliarumque suarum ditionum cancellis termi-
netur , sed tam longè latèque pateat , quàm,
quæ Christum audit terra ; quidquid terræ, si-
ue Polonorum sit, siue Italorum , interuerit
dæmon Christo , id totum Pontifici interuer-
tit. Principes, quātulā illi iacturā faciūt? in cor-
porib; in fundis: in ciuitatib?: in mœnib?: in ali-
is fluxis, & non multò pòst perituriis rebus. A-
nimæ, Ecclesia scilicet Dei, pretium crucis, cæ-
li gloria, pereunt pontifici ; vt, quò est præstan-
tior vis, ac ratio mentium (quas nulla temporis
circumscrip̄io definiet) quàm reliquarum re-
rum , quæ punctulo fluunt; eò aculeatior sit
futurus dolor Pontifici, in sui imperij imminu-
tione, quàm regibus in regnum corporumq;
iactura. Non quidem versatur in discrimine
Roma, illa sedes Romuli, & septem montibus
inclusa : sed Roma Christi , vera, inquam, Ro-
ma, quæ Christi sanguine tincta & consecrata,
iisdem , quibus sol, terminis circumscribitur.

D

Quare

Quare non potest Turca Christiani orbis parti
vlli inferre vim, ex qua cura Pontifici, & pericu-
lum non augeatur: nam, quot animæ, tot re-
gna Pontifici stant, ac, si res non prosperè ce-
dat, cadunt. Dominatur Pontifex latè, sed cu-
ius bono? habet rem benè lautam; sed cui
lautam? Quidquid possidet, agrum, castellū,
vrbem, in animarūm rem ac bonum possidet:
id quod in communi orbis periculo factis sem-
per illustribus ostendit. Ego equidem, quoti-
es considero, pecuniam Ecclesiæ factam gran-
dem, toties Dei prouidentiam in orbis procu-
ratione admiror maximam. Nam pij illi, san-
ctique principes, qui ex suo in Pontificis arcam
prolixè contulerunt, videntur Pontifici auxisse
non rem, sed curam; non diuitias, sed molesti-
as: nam res Pontificia est hodie quoddam æ-
rarium, vnde promatur, non solum viduis, or-
phanisque ad eleemosynam; sed regibus, prin-
cipibusque ad prouinciarum suarum defensi-
onem vindicationemque. Cuius pecunia, to-
ties Gallia vindicata! Hungaria defensa! Italia
serua-

feruata ! Græcia restituta ! Omnes Europæ
prouincias ac principes , Pontificia non cura
tantum, sed beneficentia tam arctè complexa
est, vt & impiè querantur hi, Pontifici rem flue-
re nimis largè ; & illi non satis prudenter existi-
ment, Pontificem, vt remotum à periculo, pe-
tere sibi cum aliis, & aliis secum promittere fœ-
dus. Sed cur tandem fœdus tantopere, equi-
tes, refugitis ? Conditiones, si quæ sint æquæ,
pro vobis sunt illæ vniuersæ. Cum multa e-
nim, quæ Principes inter ipsos vincunt fœdere,
tum illa in primis quatuor, Periculi societas, Lu-
cri spes, Sumptuum proportio par, ac Tuendi
status æqua ratio. Magnum quidem vinculum
est hominum inter ipsos, naturæ communio ;
tamen charitas in proximum ita friget, vel (vt
proprius rem tangam) amor in nobis nostri ita
calet ; vt, si absit societas periculi, societas fœ-
deris difficulter, hac ætatis nostræ labe, possit
sperari. Ac certè bonitatem naturæ ita oppres-
sit boni proprij sensus, vt, vbi periculum æquè
viget, velimus tamen videri tam cauti in præ-

sentem rem, atque in futuram tam prouidi, vt
meum bonum, etsi sit penitus tuum; hoc ta-
men, quām velim vt meum, tam nolim vt tuū.
Volumus, peruersitate quadam naturæ, quæ-
cunque volumus, non tam vt bona, quām vt
bona nobis. Delucro res est tam certa, vt illa
prisca ætas, sceleris adhuc pura, consueuerit in
dubia semper re quærere, Cui bono. Quare,
cūm omnes natura ita sint captatores, acaucu-
pes proprij boni, vt in nulla quæstus spe, nullus
putet capitis fortunarumq; sibi discrimin ade-
undum; vbi parua est spes lucri, ibi nec est, nec
erit vnquam fœderis magna. Hinc est, vt sum-
ptuum in fœdere percutiendo in primis habeat-
ur ratio: nam si plus sit ad fundendum, quām
quantum facultatula tua ferat, fœderis huius
ratio, non diu illa constare potest. Vnde non
vacat ille excusatione, qui abstinet à fœdere, ex
quo sibi res est omnino minuenda, alteri vt au-
geatur semper, & accrescat. Sed fingo illa duo
vtrinque paria; pacem tamen probent potius
Principes fictam, & falsam, quām fœdus, quod
in tuos

in tuos humeros molem totam belli deriuet,
atque te tandem medium teneat, tanquam
glacies, vnde nec regredi tutò possis, nec pro-
gredi: at in fœdere, cuius vobis, Poloni equi-
tes, sum author, paria sunt, & ad librilis regulā
æqua omnia, periculum, lucrum, sumptus, ac
tuendi priuati publicique boni necessitas. Pe-
riculum commune esse omnium, ac Polonos
propiùs vrgere, quàm reliquos, suprà demon-
straui clarissimè, & ipsi manu penè tāgitis. Vn-
de iniqui mihi in hoc genere videntur ex vobis
quidam, qui, quasi periculi pars ad vos pertine-
ret nulla, aliis ponunt tam duras, & sibi poscunt
tam faciles fœderis leges, vt velint videri non
socij, sed stipendiarij. Vbi est periculi eadem
ratio, aut penè eadem; ibi æquitas fœderis
postulat, à sociis rigidissima non exigantur om-
nia. Quam fœderis vtiliter faciendi alteram
conditionem posui, Lucrum; illius ratio poti-
or à vobis est. Lucrum huius belli est, quantū
vestra aut magnanimitas vult, aut manus po-
test subigere. Dispicite in vicinos campos, spa-
ciosos

ciosos hos, ac feraces omnium ad victum , cul-
tumque rerum : prospicite, quam potestis lon-
gissime, in Orientis diuitias & delicias. Cedent,
cedent illi sponte, haec necessariò, virtuti vestræ.
Ista omnia æquè fortè patent aliorum vi. bonū
certè factum. Nam si omnia æquè lucra pate-
ant omnibus, nihil hac huius fœderis parte pos-
sit fingi æquius. Verùm vos , equites Poloni ,
vos hac conditione longissime etiam vincitis
foederatos : nam hos nix, glacies, reliquo hy-
emis rigor, intra septa vrbiū & vallorum tene-
bit, quod minùs hostium aut agros populentur,
aut reliquam facultatem atterant. at vestræ
virtuti, nullus mōs obicem, nulla ars aggerem,
nulla hyems modum statuere potest, ac pone-
re. Neque certè vrsi priùs pellem, contra ma-
gni illius consilium magnum addicimus ære,
quam ipse in potestatem venerit : nam vrsum
cepimus, si, quod possumus, segniter non veli-
mus. Et Cominæus historicus, quemadmodū
in Burgundię Carolo, fulmine illo belli, aliquid
nescio quid desiderauit, quod in omni pericu-
lo erat

Io erat nimis securus ; sic Ludouicum, pruden-
tiæ consiliique antistitem grauiter sæpè pupu-
git, quòd in certo periculo erat nō satis audax.
At regno Poloniæ certius est iam periculum à
Turcica fraude, quam Ludouico erat à Burgun-
diæ manu ; vt Poloni, si vrsi consilium, susur-
rumque secuti, non audeant, verendum sit, né
vrsus in insidiis iam latens, irarum tandem ple-
nus, exeat in campum, ac nunc hunc, nunc il-
lum, rictu discerpat ac dilaceret. Non enim id
agitur, an securi hostem temerè debeat aggre-
di ; sed, an sicciam, vestro gutturi capitique im-
minentem, sociis armis tecti, fortiter velitis re-
pellere. At certè, vt hæc non essent, quæ sunt
clarissima ; quæstus tamen iste est Polonorum
longè vberimus (quæ æqui foederis tertia est
conditio) in partem gloriæ summam, sumptu-
um non adeò magnam, cum sociis venire. Pro-
ment socij, ex sua quisque re quantum potest,
in publicam Polonorum rem ; sic, vt possint &
imperij fines proferre, & priuatam rem augere,
& Christi fidem propagare, & maioribus præ-
ripere

ripere palmam gloriæ, & filiis ferere sementem
exempli, & cæli tandem frugem copiosè mete-
re virtute sua, & (quod in fœdere nullo, nec vlli
vnquam genti vsu venit) sumptu penè alieno.
Quem torporem hæ circumstantiæ non excu-
tiant? Quam ignauiam hæc gloria non exu-
scitet? Huic flammæ illa materies accessit,
quòd pecunia supponenda sit in bellum non v-
nius, alteriusue anni, sed quöad vel victoriæ, vel
consentientes omnium voluntates, bello mo-
dum statuerint, ac finem. At mentem illa vo-
bis cura forte coquit, ne (quæ erat quarta fœ-
deris cautio) in sociis desertoribus, soli hostilem
fraudem impressionemque sustineatis. Quid?
Christianos desertores Christianorum? nulla
specie boni? maximo periculi metu? Insanos
certè desertores cogitatis. Dein Transiluanie,
Poloniæ, & ditionum quæ Cæsari parent, felici-
tas aut miseria, seruitus aut libertas, ita arctè
inter se nexæ sunt, & implicatæ; vt, qui alteri-
us rationes prodit, suas ipse videatur perdere,
aut certè grauiter labefactare. Sed Principes
orbis

orbis erunt fœderis testes. Quæritis amplius? Pontifex est sequester. Etiamnum vultis? Cæsar obsidem fidem dat. Ne hoc quidem est satis? Hungaria est supplex. Adhuc hæretis? Sturia, Croatia, Transiluania, Italia promittunt operam. Quousque tandem? Obeo totam oratione terram, ut inueniam, quo vos confirmem: si hic nulla firmitas fœderi sanciendo sit satis, penetrate in medios cœlos, Diuum Stanislaum adsciscite fœderis præsidem: Diuum Leopoldum adhibete testem: Christum implorate vindicem: ferite quacunque formula, quacunque execratione ferite: quidquid est è cœlo boni, precamini inter vos, si seruetis; quidquid è terra mali, imprecamini, si non seruetis alter alteri fidem. Omnibus omnino sanctitatis nullam vim inesse non potestis arbitrari, nisi fingatis, rem vobis esse cum fide Punica, nō Austriaca; Turcica, non Christiana. quanquam ne probabile quidem est, quod putatur. Pacem obtulit Cæsari Turca, & pacem utilem. amplexus est? detestatus est. Transiluano etiam o-

Tentauit benevolentiae ansam. arripuit? con-
tempsit. Pontificem non dico, tam vestrum,
quàm vos Christi: de cuius in Poloniam vo-
luntate dubitare potest ille solus, qui hanc Po-
lonis inuidet voluntatem. Denique, non sunt
hi tam insani (quantum suspicor) vt velint pa-
cem cum eo, quem norunt tempori tantum
insidiari, & occasio, offerreque nunc pacem;
vt, quos ille concisus iam non potest premere,
restituta non multò pòst re, validius possit in
nihilum conterere. Tandem, in Principe Tran-
siluaniæ, quæ sit Pontificis ac Cæsaris mens, fa-
cile potestis videre: nam tantum abest, vt eum
videant pereūtem; vt (quòd capit is, fortuna-
rumque omnium pro Christiana re discrimen
adierit) id omni ratione agant, ne videatur ille
vnquam magis floruisse. Quare, vt pro Cæsare
loquar, cùm ille socios hactenus non fallat, &
contra maiestatem suam, & Dei sit, si vos fallat,
nec è bono sit, vt fallat: Prudens certè nō potest
cogitare, fore, vt ille, perrupto foederis, iurisq;
publici repagulo, Polonos solos fraudis pedica

irre-

irretitum iam eāt. Aliud est, quod fortē mor-
det, domi turbator, foris æmulus; hos priūs à
ceruicibus Reipu. depellendos, quām nouum
hostem foederis noua pactione accersendum.
Æmulum, si quid vestræ Reipub. quatuor an-
norum vsus me docuit, puto (vt molliter di-
cam) esse nomen tantū, & Cæsar certè huic
nomini cedit potius locum, quām addit autho-
ritatem. Nam si formæ Regni, quæ est, Cæsar
sincerè, & ex animo non faueret, esset sanè ille
Reipub. gerendæ non valdè gnarus: qui, quam
cuperet mutatam, vel, incisis legum neruis, lan-
guidam; eam, vt sit scilicet imbellior, hortetur
ad arma; & pecunia, vt sit fortè imbecillior, au-
geat, atque amplificet sua. Ridiculè hoc, siue
cogitatur, siue dicitur. Multi, æmuli tamen
causa, turbant. Quidni turbent? Scitum est il-
lud, in turbida aqua piscatum esse vberiorem;
ac certè clarum est, piscatum istis, in mensa nō
omnino sybaritica, hoc tempore esse fructuo-
sum. Nam dum hinc timent, inde sperant, ex
turbis duplicem consequuntur fructum, vt sit

& spes foris cum commodo, & domi timor si-
ne periculo. Has ego factiones, (si tamen fa-
ctiones, & non potius suspiciones sunt) liberè
pro meo in patriam vestram amore pronunci-
abo, non alia facilius ratione puto abituras in-
fumum, quam foedere cum Cæsare sanctè pa-
ciscendo: ita ut, quam litis caliginem Reipub.
vestræ obducit, opinione quorundam, Austri-
acum nomen: eam Cæsar, tanquam sol, pun-
~~cto~~ sit dissipaturus. Si enim fœdus iceretur, Cæ-
sar, qua est perpetua in amicos, sociosque beni-
gnitate, multis indicis tamen clarè suam erga
Remp. hanc benignitatem testatam faceret, ut
litis authoribus si non possit voluntatē, facul-
tatem tamen litis ex Austriaco nomine ferende
omnino sit præcisurus. Quare quantū, qui con-
tentiones ferunt, hactenus elaborarunt, ne sit
fœdus; tantum, qui Rempub. volunt saluam,
eniti debent, ut sit fœdus. Nam quæ suspicio-
nes de Polonorum fide erga Christum ipsum in
orbe per omnium latè animos proseminatae
sunt, quasi Moldauiam in libertatem manu af-

sertam

sertam, Christo demum eripuerint, ac Mahu-
metis seruituti constringendam dederint; sacri
föederis, tanquam ignis obiectu niues, facile
delabentur. Videbunt enim non (quod qui-
dam gloriæ vestræ non ita fauentes exprobrat)
vos malæ causæ prætexere Rempub. sed (quod
scripto mandastis, föederisque sacri iuctu sanxi-
stis, si sanctiatis) Valachiam non captam, sed li-
beratam; Tartaros non adiutos, sed intra line-
am cohibitos; Transiluaniam non pressam, sed
seruatam; christianis contra Turcam omnia
non impedita, sed expedita fuisse; denique sic
vos egisse, ut Poloniæ, Transiluaniam, Hun-
gariam, Germaniam, vniuersa denique Christi,
ac orbis Regna, uno beneficio videamini com-
plexi. In Turca tam propinquo, & statu rerū,
qui est, nemo ista facile credat. Fingo esse in
hac Repub. tam sine mente aliquem, qui publi-
cè profiteatur, se cauturum Regno à Turcicæ
persidiæ periculo; imò fingo Poloniæ hac
flamma ne leuiter quidem attactum iri: Quid
Transiluanis fiet? quid Hungaris? quid reliqua

vicinia? Peribunt certè, nisi è cælo seruet nos
men illud altum; magnumq; seruatoris. Non
erit, equites, vestræ aut religionis, velle, vt quæ
arma dicitis à vobis illata in Moldauia ad Chri-
stum vindicandum, ea iam micent contra Chri-
stum: nec iustitiæ, pati, vt sanguis christianus,
in Moldauia contra Tartaros sparsus, videatur
fuisse gluten compaginandæ arci, vnde Turca
christianum nomen in illis partibus tutò petat,
penitusque excindat. Quare cùm nulla videa-
tur constituendi imperij Polonici ratio firmi-
or, nulla Turcicæ superbiæ intra gyrum coër-
cendæ certior, nulla sopiendarum contentio-
num, quæ caput libertatis vestræ petunt, secu-
rior, nulla ad laudem domesticam vberior, vel
ad amicitiam externam constantior; quàm fœ-
dus cum christianis sanctè ictum contra Tyran-
num, id est (vt uno verbo dicam) bellum aper-
tum: Rogo vos propter vos, malitis coniuncti
stare contra Turcæ ensem, quàm diuulsi cade-
re ab eius fraude. Neutros omnino non audio,
ancipiti istos gladio iugulatos. Hanc Christia-
ni siue

ni siue vincant, siue vincantur, res neutris pede
non satis prospero ibit. Vincunt? estis, Poloni,
inglorij. Vincuntur? Nulli. Vincunt? Qui mi-
scerent, magis miscebūt domi. Vincuntur? pro-
xima præda estis. O nefastum consilium, & ca-
pitum certè deuotorum! cuius nulla pars aut
Reipub. salutaris, aut illis pulchra: nisi fortasse,
vt Medæa tragica, interpretentur pulchrum,
codem tumulo, quo Remp. obrui. Pacis tan-
dem ratio si sic ineatur, vt libertatem tamē sta-
tuatis armis contra Turcicam perfidiam esse
tuendam, tantum abest, vt priori plagæ medi-
cinam faciatis, vt securim Reipub. altius injici-
atis. Loquuntur enim linguae, pacem, arma,
bellum: fitque, vt quæ arma possunt cum bo-
no publico, priuatoque exerceri ad hostis vires
minuendas, euertendasque, illa otiosa hostis
postea valentioris impetum, roburque pericu-
losè expectent. Dic, sodes, tandem, cui rei a-
grum tuorum concidis vastitate? cui rei diffi-
pas Regni facultatē? Miles enim, quantus Tur-
cicæ impressioni excipiendæ satis est, sine Re-
gni,

gni, agri^{que} violatione nullo modo ali, susten-
tari^{que} potest. Melius certè, & ad normā po-
liticam aptius, hæc arma educeres in hostis a-
grum, aleres hostico spolio, adhiberes ad Regni
fines proferendos, ac gloriæ, prædæque plenus
verteres ad eum conficiendum, qui facit noua
crudelitatis specie, vt tu te nunc conficias do-
mi, ne paulò post ab illo conficiaris. Tandem
vide facti huius labē. In pace cum Turcis iam
certa armatos vos in finibus, aut alibi, qui vi-
dent, quas suspiciones? quas literas? quos cla-
mores contra vos disseminabunt? Clamabunt
si pax cum Turcis, arma hęc micare contrā se,
aut si forte probetis, comparari illa ad frenan-
dam Turcicam perfidiam, videbunt plus poni
sumptuum, vt ipsi vos defendatis contra fictū
amicum, quām quantum apertum hostem de-
lere, esset satis. Non aptē videor tām multis re-
futare neutros, damnatos ipsos iamdiu, vel ma-
litiæ, à prudentibus, vel à Solone, capit. Ci-
cero enim disertè scribit, sanxisse capite Solo-
nem, si quis in seditione yrbis, alterutrius par-
tis

tis non esset. Meritò certè. Nam videtur ille
insidiari Reipub. qui eam nec oppugnat permi-
xtam, nec propugnat. At Veneti non veniunt
in societatem fœderis. Abiectè istud de te, an
contemptim dicis in Venetos? ego et si id non
ago, ut Venetorum hic factum laudem, aut vi-
tuperem: tamen vos Polonus voco in societa-
tem gloriæ, quam Veneti hoc in genere conse-
quuti sunt singularem, Cùm illorum parietem
flamma violaret, non illi Fabium imitandum
sibi sumebant, solum ex omni historia lauda-
tum, quòd feliciter est cunctatus; nec illam ti-
midiusculorum cantilenam orbi occinebant,
festinandum lente; sed simul & de armis deli-
berantes, & sumentes arma; Pontificis illius
(quem mundus priùs Diuum coluit, quām cæ-
lum habuit) vocem sequuti, cum magno Hi-
spaniarum, Indiarumq; Monarcha in societa-
tem fœderis contra Turcam venerunt; & vi-
ctoria, quam oriens vidi maximam, fœderis
sacri nomen, notionemq; consecrârunt. Non
illis tantulum cerebri, aut otii à re sua erat, Po-

F

lonica

Ionica id temporis, aut Germanica ut curarent:
ipsi metabantur castra, & alios exciebant vo-
lentes exemplo, nolentes pudore ad Christum
Europæ conseruandum. Flammam vicinis iā
tectis proximè imminentem ut Veneti, sic iam
vos extinguite; seruitutem ceruicibus omni-
um incumbentem, ut Veneti, sic iam vos de-
pellite; locum aliquem ad Danubium, ut illi
Echinadas insulas, sic iam vos nobilem victoria
facite: facilius vos posteritas ferat cūctatores.
Verūm proximam calamitatem ociosè specta-
re, & Venetorum vos exemplo tueri, amici nō
ferunt, & inimici certè rident. Neque quis-
quam mihi ogganniat, propius tunc Venetos,
quām nunc Polonos tactos fuisse. Facilè ego
fecero, ut videat coecus, Poloniā nunc, quām
quōdā Venetias, propius abesse à periculo: Cy-
prū quidē Venetorū petitam fuisse, sed Cyprū
longissimè dissitam; sicam autem Turcicam
vestris iam iugulis intentam esse, &, nisi fœde-
ris illam vis retuderit, in visceribus non multò
post mediis, ni Deus auertat, hæsurā. Quam-
quām

quām quid Venetos premitis inuidia? Agitur
iam id, ut praeceant Poloni reliquis viam gloriae,
non sequantur: Et Deus per Pontificem quasi
e caelo ciet vos, ut Christum seruetis nobis, in
his partibus. Potest quidē Christus seruare nos
sibi, se nobis, & sine nobis: sed si per vos velit;
gloriam, quanta genti vestre potest obtingere
maxima, cur refugitis? cur aliō deriuatis? cur
in Venetos? Socii non desunt belli. Pontifex est
in statione: Cæsar in armis: Transylvanianus in
campo: Imperii proceres et si non nomen suum
ad foedus, pecuniam tamen, & rem adferunt.
Philippus Hispaniarum, classem longè instru-
ctissimam in Patras, totamque illam oram su-
periori æstate immisit, atque hac grauius ali-
quid in Tyrannum molitur. Quid Veneti ve-
stros animos minuant? Quanquam Veneti non
dormiunt, nec, quid captant consilii, publicè
interest sciri. Tantum fidimus pietati, religi-
oniq; summae, que eos prouexit ad hunc splen-
dorem, quem nulla vñquam Respublica aut
tam diu, aut tam magnum habuit; ut spere-

mus, si vos in extingueda flammia iam propin
qua inertes non videamini, eos esse ad com-
mune incēdium cōmunem manum allatuos.

Pacis incertæ certa fraus est, belli necessarii
causa vera : rationes ergò belli faciles (quod e-
rat tertiae nostræ partitionis caput) frustrà quæ-
ritis. Nam vbi est pax incerta, vel bellum ne-
cessarium ; ibi belli rationes faciles, & expedi-
tas quærere, est hominis ineptè curiosi , nec fa-
tis considerantis, plus semper damni incertam
pacem , quām bellum certum importasse re-
bus publicis, & belli neceſſitatem lentiori con-
ſilio non reliquisse locum. Deinde vis in con-
iunctis viribus futura firmior , victoria certior,
foederis conditio vniuersa tutior , aliæque rati-
ones per totam orationem sparsæ, plurimæ ſa-
nè illæ, & neruorum plenæ, cum clarè doceant,
prona in bello fore vobis omnia , næ ego futi-
lis sim, & iudicii non magni , si multam in hoc
capite orationem ponerem. Loca igitur, quæ
ſunt huius loci, omnia, tangam, non premā;
indicabo, non explicabo. Scripsit non ita pri-
dem

Aem quidam, frustra tentari, qui nō potest vinci: & tyrannidi, quam veluti fluuium nemo crescentem potuit inhibere, latè iam grassanti poni temerè obicem. Huic refellendo non peto momentum ex Christo, cui tantillum iste tribuit, ut putet eius hostes sterni non manu ex alto; nec ex historia, cuius nihil penitus videatur nosse. Quid? Pagani non possunt vinci? Balduinos iste, & Hunniadas non legit, spoliis barbaris, hos Belgradi, illos Hyerosolimis, onustos. Ladislaos Hungariae, & Godefredos, illa gloriæ nomina, quæ non sermonibus tantum, sed etiam cantilenis illi ex popa triuerunt, hic magnus scriptor non audiit. Scanderbergum illum, septem victoriis insignem, & barbaro sanguine ad Croiam manantem, iste fortè dicet esse Amadisium quendam, Tristamum, aut aliud nominis cōmentum, ex illis rotundæ mensæ lepidè consutis fabellis, erutum. Huic ita libet credere, non posse vinci Turcas; ut contrà quidquid afferas præteritæ memoriæ, iste nullo modo credit. Facile patior, ut non credas

præteritæ, crede præfenti memoriæ. Sizium
flumen, barbaro sanguine foedum, Petrina arx
barbarę superbię monumentum, Sabotea, Fi-
lecha, Lippa, Strigonia, bis mille pagi, centum
quinquaginta opimi optimi fundi millaria ,
Christo, Augusteque genti vindicata, & tuam
orationem refellunt, & stultam illam refutant
Tyranni vocem perpetuò clamantis , vnū tan-
tum posse esse in cælis Deum, in terris Domi-
num. Quę tandem hæc vox est, Turcam non
posse vinci ? Nunquam ille vicit virtute sua, sed
ignauia nostra : occupat nos consultantes, non
pugnantes, aut pugnantes certè inter nos. Ot-
tomanus primus huius cognominis Rex , dum
Christiani premunt Tartaros, Bythiniam sui iu-
ris facit. Orchanes huius filius, ratus Gręco-
rum inter ipsos pugnam , sibi occasionem cre-
scendi , Bythinię reliquę Nicęam adiunxit : &
Nicomediam Amurathes, Orchanis filiüs natu
maximus , certantibus inter se proceribus ,
Galliopolim , Adrianopolim, Seruiam, & Bul-
gariam interceptit. Quid recenso reliqua ? vi-
litas

Litas nostra semper facit, vt hic Thersites videatur Agamemnon. Tamen si quis Tyrannum contendat, fuisse viris aliquando, armisq; polentem; fælicitas iam vestra est, quòd fuit polens. Illud robur exercitus cecidit; hæ reliquiæ attrite penitus, Equites, & concisæ stabunt? Nunquam certè potuit pugnari contra minorē vim, aut maiorem, (vt prisco verbo vtar) imbelliam. Hungaria quot consumpsit? Quot confecit Transyluania? Croatia quot deleuit? Quot Persia amandauit ad inferos? Vnum Persianum bellum, centies millia capitum Europæorum demessuit, & (vt euolutam notionē complicem) quot ibi campos, tot barbarus suorum corporum vedit tumulos. Hinc est, vt Europæo flore consumo, habitu sint Asiani delectus. Hos manu vertitis, Equites? an spiritu uno diffatis? Cupediis eos pastos, & molliculos, Cæsar ita contempsit, vt ad bellum, tanquam ludum, itans dixerit, se in Hispania contra militem sine imperatore, in Asia contra Imperatorem sine milite pugnaturum. Quid per-

go?

go? Res tota eiusmodi est, vt requirat potius
citum auxilium, quam consilium lentum: res
eiusmodi, vt non fundi solum, & palatia; sed
altaria, ac templa, manum, opemque iam ve-
stram implorent. Ecclesiam dixerunt sacræ lit-
teræ, nunc munitam ciuitatem, quod ab omni
auxilio contra omnes hostes instructa; nunc
catholicam, quod sparsa latè per Asiæ, Africæ,
Europæ latos campos; nunc sponsam Christi,
quod pulchritudinis specie vndique variegata
erat. Hodie verò, quo nomine censembitur no-
bis? Eius decor ab intus: luctus, squalor, pulla
foris est, & sordes. Nam eam, hinc mœnibus
ciuitatem, inde sponsam pulchritudine, ita nu-
dârunt Turcæ, aliquæ hostes; vt videatur, si ec-
clesia contra tot insultus firma, vix tamen pul-
chra, tot ornamenti spoliata. Catholica, in
quibus angulis, & nidulis iam latet? dolor, heu
dolor, non me sinit proloqui; ipsa ecclesia, hoc
squalore, ipsa vos his verbis afflatur. Eiecta ex
Hungaria apud vos consedi, tuta semper hac-
tenus, et si non semper integra. Nunc ne tuta

quidem,

quidem, quidne exclamem, proh vestram, filii,
fidem. Si contemnatis fortè matrem, non de-
seretis tamen patronam. Qui fuistis vix noti,
aut certè Romanis male noti, à me tandem
accepistis splendorem, æmulum Romanæ ma-
iestatis. Liuonia meum donum fuit: & Lithua-
nia illa magna, non priùs erat vestra, quàm e-
ius lagellonius, cœpit esse meus. hæc mihi be-
neficia peribunt omnia? Facietis, Equites, ne
peream: nisi velitis perire vnà mecum. Ecce,
quæ, Asię, Africę, Europę latè dominata sum,
quàm arctè iam, angustéque, sub tyrannide
Turcarum, habito. Habeo filios, in Asia, so-
los Georgianos, & hos vix filios; in Africa
paucos, & hos, nescio qua labe nigros; in
Europa aliquos. Sed quamdiu hos, si vos
Turcicam Tyrannidem non inhibeatis? Tres
mihi Principes sedes, Alexandrina, Antio-
chena, Hyerosolimitana, præcerptę sunt, ty-
rannidis vi: sola Roma reliqua est. defendite il-
lam mihi per obseruantiam vestram erga me,
per meam erga vos pietatem, defendite illam

G

mihi.

mihi. Vultis vires ? natura, mea serua, vobis de-
dit. Vultis animos ? Gratia, mea ancilla, vo-
bis confirmabit. Vultis ensem ? Clemens, me-
us filius, vester pater, vobis porrigit : & ne pu-
tetis gladium solius militis esse, suum porrigit.
Iussus quidem est Petrus (sic loquitur Bernar-
dus, mel mecum) semel ponere gladium in va-
ginam ; quem tamen, qui tuum , Petre, negat,
non satis mihi videtur attendere verbum Do-
mini , dicentis sic , conuerte gladium tuum in
yaginam. Tuus ergò (siue Petrus , siue Cle-
mens sedes ad clauum) tuus est gladius, tuonu-
tu, etsi non tua manu euaginandus. Alioqui
si nullo modo ad te pertineret ille , dicentibus
Apostolis , ecce duo gladii ; non respondisset,
Domine, satis est : sed, nimis est. Vterque ergò
est ecclesiæ; spiritualis scilicet gladius, & mate-
rialis; sed hic quidem pro ecclesia, ille ab ecclæ-
sia exerendus ; hic sacerdotis, ille militis manu;
sed sanè ad nutum semper sacerdotis, & iussum
Imperatoris. Accipe igitur, Sigismunde REX,
gladium Petri à Clemente, iam altero Petro, &
eum

eu[m] vos, Equites, contra Tyrannum distringi-
te in sacri huius foederis circo, cuius labor, bel-
lum; meta, gloria; præmium C H R I S T V S.
Hactenus ecclesia sibi à vobis, Equites, opem
orauit, et, si pii sitis, exorauit. Quod si nec
Pontificis summi patris auctoritati, nec Eccle-
siæ sanctæ matris necessitati quidquam annu-
eritis; sed vel sensu transuersim abrepti, vel er-
rore præcipites, habueritis post priuatas ratio-
nes Christum; vereor, ut pœnam tandem sen-
tiatis, pœnam illam extremam, irrisione[m] Do-
mini de interitu vestro. Quia vo[ci]au[i] vos,
inquit Dominus, & renuistis, ridebo
vos in interitu vestro.

DIXI.



Ad responsum oppositum alia responsio.

Diu apparandum est bellum.

Vtile,
Honestum,
Necessarium

SEST. si adest effi-
ciendi facultas. R.
Imo uero, si nunc non
erit, quod futura est &
tu uidelicet, cum illius
animus & potentia in
immensum crescat, no-
bis uero utrumque de-
cedet.

Nummi,
Milites,
Duces

NON DESVNT, ho-
sti. R. Cuius nos omnia
uerbis maiora facimus:
& nos, nostraq; pessimo
exemplo extenuamus.

GRÆCIA MONET: ne in spē
externorū auxiliorum irritemus
potentiores. R. Imo potius mo-
net, ne ipsius exemplo pereamus cui
non auxilia promissa, sed perfidia ab
Eugenio IIII. Pont. Max. expro-
brata, & triennio ante captam Con-
stantinopolim, imperij diuinitus euer-
sio solenni legatione, fatidico spiritu
fuit denunciata.

HVNIGARIA PETIT: dum de-
sperat. R. Eò magis adiuuanda, ne
desperatione fracta, in hostium po-
tatem ueniat, & ad nos iisdem iter
patefaciat.

GERMANIA DAT: verba. R.
Ad minimum Turcis ueriora.

ITALIA PROMITTIT: non
multum præstat. R. Turcia plus-
ra, scilicet.

POLONIA DELIBERAT: con-
sulto. R. Ergo antequam incep-
ris, consulto: ubi consuleris, matu-
re factio opus.

VENETI EXPECTANT: Serō
sapiunt Phryges. R. Utinā tu, &
tui, eorū essent similes, non diceretur:
Po stodžie polak mādr.

HISPA-

Ratio certa,
Via facilis,
Annona nō dif-
fīcīlis,
Præda ingens,
Gloria īmortalis
Victoria haud
dubia

S APPARET:
in aēre. R.
Qui crediderint,
Ihs apparebit in
aēre.

HISPANIA VVLT: Gallias oc-
cupare. R. Nec immerito: sem-
per enim eius studia contra Turcas,
quoad maximē potuit, retardauit.

GALLIA NON IMPĒDIT :
Turcæ conatus. R. Cuius rei, ci-
uili bello & sanguine madens, poenas
luit grauiſſimas.

ANGLIA CAVET: ne Catholi-
cis cedat victoria. R. Et tu, si Ca-
tholicus es, anglica cōſilia laudaueris?

IN MEDIO EST HOLLANDIA:
Inutilis. R. Eſto.

HYBERNIA FESTINAT: ad
Confœderationem. R. Videlicet
cum Catholicis. Et tu id improbabis?

SCOTIA NON MORATVR :
contra Hispanū. R. Imo contrariū.

DANIA CONSENTIT: ad ex-
haurienda in otio pocula. R.
Non semper patrizat.

SVECIA NON RECVSAT: pa-
cem cum Moscho. R. Quia &
hic à nobis stabit.

ET ALIA MVLTA: In princi-
pibus Christianis deploranda. R.
Musca ad scabiem.



1. *Constitutive equations*
2. *Equilibrium*
3. *Stress-strain relations*
4. *Material parameters*

5. *Boundary conditions*

6. *Initial state relations*
7. *Boundary value problems*